



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Non est vacua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

DEO. Unde S. Franciscus molestâ tentatione Spiritûs pulsatus, intendens orationi eum lacrymis, audit e coelo vocem: Franciscus! si habueris fidem ut granum sinapis, & dixeris monti, ut transeat, transibit. Querit ille: Domine, qualis hic mons? cui responsum: mons est tentatio. Franciscus cum lacrymis: fit mihi Domine, sicut dixisti; & statim, sublata omni tentatione, quievit. Wading. in Ann. Minor. 1218. n. 2. Cornelius hic

Omnia possum in eo, qui me confortat. Philipp. 4. 13. Quanta fiducia vox! omnia possibilia sunt inmittenti super eum, qui omnia potest. Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit; quam quod omnipotentes facit omnes, qui sperant in eo. S. Bernardus f. 25. Apud Sylv. Addit. in Evang. Matth. 9. q. 7.

Vide tit. Difficultates. Magnanimitas. Spes.

§. III.

Fiducia in DEum non est vacua.

Omnia locum, quem calcaverit pes vester, vester erit. Deut. 11. 24. Magna fides magna meretur; & quatenus in bonis Domini fiducia pedem potrexeris, eatenus possidebis. S. Bernardus f. 32. in Cant.

Que non quasiuit muliebrem cultum. Esth. 2. 15. Actum est de Esther: nam puella reliqua, quibuscum de occupando regis corde certatum est, pigmenta, & ornamenta petiere; se principi gratiosas fore ornatu confisæ: quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant. Et tamen pigmentata rejectæ sunt; delecta verò præ cæteris Esther, ipsâ gratior negligentia. Ergo, si placere Regi vis, noli esse sollicitus de fucis tuis. Si Esther fortunam suam arbitrio Eunucli excolendam tradit; tu Pastori tuo tincturam velleris tui non committes? Oliva l. 5. Strom. hic.

Sola spes apud te miserationis obtinet locum; nec oleum misericordie, nisi in vase fiducia: ponis. S. Bern. f. 3. in annunt. B. V.

§. IV.

Fiducia in DEum roboratur potentia DEI.

Nunquid DEO quidquam est difficile? Gen. 18. 14. *Nunquid manus Domini invalida est?* Num. 11. 23. *Scio, quia omnia potes.* Job. 42. 2. *Domine DEus vir-rutum, quis similis tibi?* Pl. 88. 9. *Nunquid abbreviata, & parvula facta est manus mea?* Il. 50. 2.

Unde illos quis poterit saturare panibus? Marci 8. 4. Quid ad illa verba Christi *unde ememus panes?* Joan. 6. 5. respondere debuerunt Apostoli? Hoc sanè: Domine, jam semel majorem turbam quinque panibus, & duobus piscibus, satiasti; nihil tibi difficile: qui majorem pavit, pascere potest & minorem. At illi nullum de præterita saturatione verbum faciunt; sed rei difficultatem opponunt: *unde illos &c.* In suam impotentiam, ac penuriam, conjicie-

bant oculos; non autem in Magistri potentiam. Ideò difficilimum, imò impossibile, illis videbatur, tantæ turbæ panes suppetere. Si Christi potentiam considerassent, facillimum id esse existimassent. A vestra penuria oculos avertite; in opulentia, potentiaque Magistri figure. Pl. 144. 15. *Oculus omnium in te sperant Domine.* Barradius. 2. l. 16. c. 17. hic. D. 6. Pent.

Si ergo vos - nolitis bona data dare filiis vestris. Luc. 11. 13. *quanto magis Pater vester.* Quare non vis accedere? amare; plus omnibus potest. Et vult, & potest. Quid prohibet? nihil. S. Chryost. in Act. hom. 36.

Confidite in potentia Domini JESU Christi; cujus clementia immensurabilis est, cujus potestas ineffabilis, cujus gratia semper, & in æternum, desiderabilis: quia nunquam derelinquet vos; sed in omnibus ubique vobis aderit. S. Martialis Ep. Lemovic. epist. ad Tolosan. c. 25.

§. V.

Fiducia in DEum exempla.

Qua prævaluerunt nimis. Gen. 7. 19. Nota hic constantiam spei in Noe, & patientiam. Relinquere coactus domum, amicos, & omnia, imò eorum interitum videre; quasi in carcere, fœtore animalium clausus: videbat tantam iram DEI: nesciebat, quamdiu diluvium duraturum: cruciabat eum interitus tot hominum, & animalium: laborabat, ut suos in spe roboraret, & consolaretur. Vide Hebr. 11. 7. Eccl. 44. 17. Cornelius hic.

Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Gen. 32. 24. Quam ob rem luctatur Angelus cum Jacob; illum si lucia roborat, qui fratrem metuerat. Quapropter etiam illi victoriam concessit, dicens: nonne me solum vicisti, & hominem timuisti? B. Theodoretus q. 91. Si quæras: quare DEUS sic luctabatur, quod luctantem superare nollet? ad hoc est ratio: ad monstrandam scilicet efficaciam foris, & fiducialis orationis. S. Thomas cap. 32. in Genes.

Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? &c. Pl. 26. 1. Quanta fiducia in eo, qui novit dicere: *Dominus illuminatio mea &c.* Protegitur Imperator scutatis, & non timet; protegitur mortalis à mortali; & securus est: protegitur mortalis à immortali; & timebit? & trepidabit? S. Augustinus hic.

Audiens autem JESUS miratus est. Matth. 8. 10. Quis actus ille magnus fuit virtutis, ex quo tantum applausum sibi concilerit Centurio? Ecce hoc unicum: tantum confidit Christi potentie; ut crederet, etiam distantem servo sanitatem redditurum, si vel verbum in salutem ejus enuntiaret. *Tantum dico verbò.* Segneri. f. 2. die Jovis post Ciner.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Luc. 15. 18. Quâ spe? quâ fiducia? quâ confidentiâ? illâ, quâ pater est. Ego perdidici, quod erat filij; ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem